



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Per quem, & quo tempore, modo, ac ordine executio sententiæ  
faceinda sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

## De aliis nonnullis effectibus sententia.

Plures sunt etiam alii effectus sententia definitivae. Et primò quidem, quod per illam lis seu controversia finitur *argu. c. Iurgantium 2. h. t. saltem* quoad instantiam iudicii, cum Iudex sententia definitivam latam fundat suo officio, & quoad hanc causam Iudex esse definit; quamvis eodem die, quo tulit sententiam, supplere adhuc possit, quae ad causam consequentia spectant, ut si omisit condemnare ad expensas litis, vel ad fructus restituendos &c. Imò si ordinarius Iudex est, non tantum declarare postmodum potest, sententiam à se latam nullam esse, sed denuo causam talem ex integro resumere potest, quia nullam sententiam ferendo non censetur suo officio functus.

Secundum latam sententia definitivae effectus dici potest, quòd ea à superiore, si rite & iuste lata sit, sit confirmanda, prout sumitur *ex c. ea qua 4. h. t. si nimirum* confirmatio talis à superiore postulata fuit ad majus scilicet latae sententiae robur.

Tertius effectus dici potest, quòd nullum sit rescriptum contra sententiam prius latam impetratum, si hujus non fiat mentio, & consequenter etiam collatio v. g. beneficii, si facta fuit vi talis rescripti, nulli erit, prout sumitur *ex c. Cum olim 12. h. t. verisimile enim est*, quòd Papa v. g. tale rescriptum concessurus non fuisset, contra sententiam aut pronuntiationem prius à se factam, cum

nemo in dubio praesumatur proprium factum impugnare, sed potius praesumatur circumventus, ita ut nec motus proprius praesumptionem hanc, quae juris & de jure est, corrigat.

Quartus effectus sententia definitivae dici potest, quòd interdum irroget infamiam Reo condemnato, qualiter in *L. Athletas §. ult. ff. de his, qui nota. infra.* statuitur de condemnatis in causa injuriarum, sive civiliter sive criminaliter de injuria agatur.

Quintus denique effectus sententia definitivae dici potest, quòd ex sententia pro Actore lata competat ei actio in factum, ad praestandum id, in quo Reus condemnatus est: quae actio sicuti haeredibus etiam actoris datur, ita etiam contra haeredes Rei datur. Reo autem absoluto per sententiam datur exceptio rei iudicatae contra Actorem, ejusque haeredem.

## §. III.

*Per quem, & quo tempore, modo, ac ordine executio sententiae facienda sit?*

Executio sententiae fieri debet ab eo Iudice, qui eam tulit, si quidem sit ille ordinarius, *L. à Divo Pio. 15. junct. Gloss. V. à se. ff. de re iudicat.* aut Papae delegatus. *c. In litteris 9. junct. Gloss. in casu & c. Pastoralis. 28. de offic. iud. deleg.* ita ut, si interposita appellatione Iudex appellationis prius latam sententiam confirmet, quam tulit Iudex à quo, ad hunc remittere debeat partes pro executione, ut iudicium, ubi latum est, ibi etiam perficiatur, ad meliorem Reipublicae & talium negotiorum ordinem. Et quamvis multi

multi dubitent, utrum hæc ipsa executio etiam competat delegatis ab inferiore aliquo Magistratu, ab Episcopo v. g. vel utrum partes ad delegantem pro executione remittendæ sint, cum Delegatus talis omni suo officio functus videatur, pronuntiando sententiam, quia tamen, cui causa expedienda committitur, omnia etiam commissa merito censentur, quæ ad causæ talis expeditionem spectare videntur, ideo probabilius est etiam his delegatis suæ sententiæ executionem competere, nisi specialiter hæc illis prohibita esset.

Non est tamen sententia (saltem in Civilibus) statim executioni mandanda, sed expectandum est saltem per dies decem (ut locus detur interponendæ appellationi, si parti gravatæ videatur appellandum) & in debitis personalibus temporæ à jure definitum ad executionem, est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur, prout patet ex c. *Quod ad consultationem*. ita tamen, ut ex iusta causa possit hoc tempus abbreviare Iudex. In realibus verò actionibus sententia statim, ut ea in rem iudicatam, post decem dies appellationi concessis, transit, executioni mandanda est, & rei possessio actori, pro quo iudicatum est, danda, ita ut ad executionem non sufficiat, pignora tantum dare pro re, ad quam condemnatus est, iuxta c. *Cum aliquibus* 6. h. t. nisi restitutio statim faciendæ impossibilis esset, aut pars victi sponte pignora v. g. pro re, vel æstimationem rei, &c. admitteret, in cuius favorem restitutio præcepta est, & cogenda esset. In causis verò criminalibus executio statim fieri potest, præ-

sertim in Germania, ubi juxta hanc criminaliter condemnato non conceditur appellatio remedium.

## §. IV.

*An is, cui commissa est executio possit admittere exceptiones oppositas contra executionem sententiæ, & de illis cognoscere?*

**D**Uplex communiter dicitur Executor, si distinctus hic à Iudice, alius dicitur & est merus executor, si nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur, alius mixtus dicitur, & est, cui non tantum executio, sed aliqua etiam cognitio faciendæ executione committitur, hæc ergo admittere potest exceptiones, que tendunt non ad impugnandam sententiam, ac illis de aliqua injustitia arguenda, sed que tendunt ad impediendam, aut retardandam executionem, & de illis cognoscere, c. *De cetero* 5. h. t. Nemo enim assumere sibi debet Executor potestates Iudicis, cui de causâ principali cognoscere convenit. Si verò merus Executor quis constitutus sit, nulla ipsi cognitio causæ competit, & consequenter admittere non potest ullam exceptionem, sed sola exequendi necessitas illi incumbit (cum omnis cognitio etiam ad executionem pertinens supponatur in casu præmissa) quamvis sciat injustam sententiam à Iudice latam, cum illa non sit discernere justè an injustè iudicatum sit, nisi injusta sententia lata esse in causa criminali, ubi de vita, aut membris hominis agitur (ad cuius velut inanimatæ malæ executionem nemo cogi potest) vel in causa etiam Civili indubitatè